





1703.

- 1<sup>a</sup> = Bodinus, Henricus: De usuris pretii non soluti.
- 1<sup>b</sup> = Bodinus, Henricus, de: De usuris pretii non soluti.
2. Bodinus, Henricus: De non praefecendis sumptibus curatioris ultimi morbi.
3. Bodinus, Henricus: De conjugio illicito.
- 4<sup>a</sup> = Bodinus, Henricus, De casu fortuito, a quibus usufructuario non praestandi. 2 Sept.
- 5<sup>a</sup> = Bodinus, Henricus: De collatione sumptuum studiorum.  
2 Sept. 1703 & 1747.
- 6<sup>a</sup> = Bodinus, Henricus: De expellendo conductore 2 Sept.
- 7<sup>a</sup> = Bodinus, Henricus: De rei vindicatione contra bonae fidei possessorem non competentem. 2 Sept.
- 8<sup>a</sup> = Bodinus, Henricus: De non requirenda cellatitate ventris. 2 Sept. 1703, <sup>1712</sup> 1743.

- 9<sup>a</sup>, <sup>6. u. c.</sup>  
 = Baetner, Fridericus Henricus: De injustitia vocationis factae  
 ad clamorem populi. 3 Sempl. 1703, 1725 & 1736.
- 10<sup>a</sup>, <sup>6. u. c.</sup>  
 = Boehmer, Fridericus Henricus: De transactione dominii in con-  
 tractu arbitratoria. 2 Sempl. 1724 & 1732.
- 11<sup>a</sup>, <sup>6. u. c.</sup>  
 = Brunnemannus, Jacobus: De foederibus statutum imperii  
 cum exteris. 2 Sempl. 1703 & 1740.
- 12<sup>a</sup>, <sup>6. u. c.</sup>  
 = Brunnemannus, Jacobus: De incrementis urbium Germa-  
 nicarum. 2 Sempl. 1703 & 1736.
13. Buddens, Jo. Franciscus: De comparatione obligationum,  
 quae ex diversis hominum habitibus oriuntur.
- 14<sup>a</sup>, <sup>6. u. c.</sup>  
 = Cellarius, Christophorus: Critica cultioris Germaniae  
 . . . examinanda . . . proponit. 2 Sempl. 1703 & 1709.
- 15<sup>a</sup>, <sup>6. u. c.</sup>  
 = Guntlingius, Nic. Hieron.: De transactione, testamento  
 tutelis non impeditis. 2 Sempl. 1703 & 1735.
16. Hoffmannus, Fridericus: De potentia diaboli in corpora.

17

~~17<sup>17</sup>~~ = Hoffmannus, Fredericus: De balsamo Peruviano ejusque  
virtute et usu.

18<sup>18</sup> = Hoffmannus, Fredericus: De anatomia publica, 2 Suppl.

19<sup>19</sup> = Londorici, Jac. Fredericus: De coelibatu proreac nomine  
imposito. 3 Suppl. 1703, 1739 ? 1764.

20<sup>20</sup> = Londorici, Jac. Fredericus: De jure et jurisprudentia  
Domestica. 3 Suppl. 1703, 1711 ? 1747.

21. Schmeider, Jo. Fredericus: De jure imaginum.

22. Stahl, Georgius Ernestus: De naturalibus erroribus medici-



*[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely German, covering the majority of the page.]*





E. 21 num. 1

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

1703 2

De

# CONJUGIO ILLICITO,

4

P. 393

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGICI HEREDE, &c. &c.

*In Regia hac Fridericiana,*  
PRÆSIDE

**DN. HENRICO BODINO,**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS.  
CONSIL. ECCLES. IN DUCAT. MAGDEB.  
ET PROF. JUR. ORDIN.

PATRONO AC PROMOTORE SUO ETATEM DEVENERANDO

**PRO LICENTIA**

Summos in Utroque Jure Honores  
consequendi,

Ad D. Octob. MDCCIII.

Horis ante & Pomeridianis

placido Eruditorum examini exhibet

**JOSIAS MÖRDER,**

Magdeburg.




RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Literis CHRIST. HEMCKELII Acad. Typogr. 1715.

DISPUTATIO JURIDICA IN AUCTORITATE  
CONIUGIO  
MILITATO.

DA FRIDERICO WILHELMO  
IN AUCTORITATE

DA HENRICO BODINO  
IN AUCTORITATE

PRO LICENTIA  
Summus in hunc fine





I. N. D. N. J. C.

Th. I.



Onjugium esse arctis-<sup>Essentialis  
conjugii  
conceptus.</sup>

simam conjunctionem, imo unionem, primario Dei cum homine, tanquam omnium creaturarum compage, secundario vero inter homines, ad sui ipsius communicationem & conservationem sui generis, Dn. Præses alibi in disputatione de interdicta libertate matrimonii ineundi prolixius deduxit. Cum vero non tantum ineundum matrimonium interdum interdicator, quamvis contractum, quoad vinculum naturale, dissolvi non possit, sed etiam propter deficientem essentialem conceptum, & finem conjugii, aut repugnantem majorem moralitatem, illud, quod sub specie conjugii contractum est, tanquam illicitum & nullum sæpius rescindendum sit; ideo operæ pretium duxi, de illicito conjugio hac inaugurali differere, & quidem quantum fieri poterit, concisa brevitate, & in hac materia juris naturæ & divini, sine prolixa allegatione alijus

*Aliud est interdicio  
conjugii ineundi, aliud, quod per se nullum est.*

cujus auctoritatis humanæ, quod, ut benevolus lector, non statim, ubi displicuerit, rejicere, sed propositum benignius trutinare velit, obnixè rogo.

Th. II.

*quomodo  
conjugium  
constitua-  
tur.*

Conjugium autem hic sumimus non pro sponsalibus, seu animorum tantum conjunctione in futuram corporum traditionem, sed pro plenaria appropriatione uxoris, & communicatione corporum, ut horum invicem frui possint, licet agnoscamus, quod consensus in præsentem traditionem vinculum conjugii inducat, ac matrimonium constituat, non concubitus, scilicet solus, nec nudus consensus de futuris nuptiis sine concumbendi plenissima præsentem potestate, sed talis consensus tantum inducit sponsalia *L. 4. ff. d. spons.* Illicitum vero hic sumimus, non pro eo, quod, ne ineatur, interdictum est, contractum vero subsistit, sed pro eo, quod semper & ubique est & manet contra leges, & sic per se illicitum, quod nullo non tempore *divulcat* & turpitudinem continet.

*quid illicitum dica-  
tur.*

Th. III.

*conjugium  
cum impu-  
bere est illi-  
citurum &  
nullum.*

Primo circa personas in genere notandum, quod cum primario & naturaliter maris & femine conjunctio introducta sit, ad multiplicationem & conservationem generis ab omnipotente Creatore formati, indeque primo conjugium appetentes, pro fine & scopo sobolis procreationem habere debeant, cum extra hanc lasciva juventutis libido, tam abominabilis sit Deo, quam in se scæda & turpis, ac conservationi propriæ nociva; mu-

mulier quoque, quæ tantum ad libidinem alicui infer-  
 vit, vix turpitudinis notam effugiat, indeque piæ & fi-  
 deles uxores in veteri testamento, gravissimo dedecori  
 ac infamiæ sibi duxerint, si in sterilitate corporis, tantum  
 libidini in conjugio suo inservire debebant, ex quo incon-  
 solabilem fere mœrorem contrahebant, donec à Deo  
 exaudirentur, omnisque sæcunditas thori ab omnibus  
 probis pro benedictione divina habeatur, facile mani-  
 festum evadit, impuberes aliasve ad generandum plane  
 incapaces, illicitè conjugio jungi. Unde, si contingat,  
 tales impuberes per solennem traditionem conjugii sæ-  
 dere alicui jungi, illud, non obstante facta traditione,  
 quoad indissolubilitatem, potestatem præsentem in cor-  
 pus alterius, cæterosque effectus juris naturæ & divini,  
 pro perfecto conjugio habendum non esse, sed tantum  
 in desponsationis terminis, inter impuberes licitæ, subsi-  
 stere, per consequens donec pubertas accedat, non tan-  
 tum omnem attentationem in corpus alterius, & vul-  
 go sic dictos actus conjugales, tantum libidinosos, in se  
 turpes, ac prorsus illicitos esse, sed etiam, si persona  
 impubesita juncta tædium contra alterum suscipiat,  
 & ad libertatem proclamet, merito audiendam ac in  
 pristinum statum restituendam esse, non obstante facta  
 traditione ad consummationem conjugii, cum hæc tra-  
 ditio, respectu exinde orientis naturalis obligationis, in  
 se illicita & nulla sit, nisi quatenus post ad impletam pu-  
 bertatem tacitam approbationem & ratihabitionem ac-  
 cessisse probari possit. Quamvis solennis collocatio in  
 matrimonium personæ impuberis suprema auctoritate humana facta, ad effectus civiles obligationem pro-  
 ducatur, nec quoque post pubertatem, de novo repeten-  
 da

da sit, sed solus continua rus consensus hic ad perfectio-  
nem conjugii sufficiat, exemplo traditionis brevis ma-  
nus,

Th. IV.

*pubertas  
non ex anno-  
rum numero  
estimanda.*

*civilitas  
men deter-  
minatio non  
caret effe-  
ctu.*

*admittit  
vero proba-  
tionem con-  
trarii.*

Utrum vero ad hunc naturalem effectum conju-  
gii persona pubes, vel impubes sit, non tam ex annorum  
certa determinatione, quam ex naturali constitutione &  
habilitate corporis estimandum est, cum tam tempe-  
ramenta hominum diversa, quam externa aëris tem-  
peries, seu clima provinciae, vel deficiens justa ali-  
mentatio, aliæve circumstantiæ, pubertatem in una  
persona præ aliis modo anticipari, modo retardari, effi-  
cere possint. Quod autem Leges Romanæ certam an-  
norum periodum pubertati definierint, tantum publicæ  
honestatis causa factum, ne in singulis casibus matrimo-  
nii à juvenibus contrahendi, per personas alias ad inspe-  
ctionem corporum adhiberi consuetas, visitatio illorum,  
quæ natura tegi vult, necessaria sit, sed ante illos annos,  
tanquam juxta clima Romanum & Italicum pubertati  
convenientes, nemo facile ad matrimonii vinculum ad-  
mittatur. Si ergo contingat personam quandam, vel  
post illa præscripta annorum curricula matrimonio qui-  
dem solenni ita junctam, nihilominus tamen impubrem  
adhuc, ac ad generandum inhabilem deprehensam esse,  
quod ab afferente probandum, aut dum forte persona,  
anticipato robore corporis, ante illud tempus Jure Civili  
determinatum, pubes facta, pro tali quoque publice ha-  
bita ac ita in matrimonium collocata sit, ex eo nec hæc  
ad libertatem proclamare poterit, quod annos puberta-  
ti præfinitos nondum adimpleverit, nec in priori casu pro-

probatio contrarii ad effectus nullitatis matrimonii supra adductos denegari debet; sed illa annorum determinatio juris Romani in casu dubio hætenus tantum præsumptionem inducit, quæ probationem contrarii admittit, quippe quod in hac materia juris naturæ & divini, nihil naturæ contrarium Lege civili introduci, nec aliqua persona ad matrimonium habilis declarari, quæ talis non sit, aut matrimonium naturaliter validum, dissolvi possit. Quamvis in materia tutelæ & curæ, & circa quæstiones infantia, pubertatis, & minorennitatis & in aliis negotiis civilibus illa determinatio temporis juris Romani præcise & stricte sit observanda, nisi, ubi circa hæc aliæ leges, vel consuetudines obtinent, quemadmodum in Saxonia minorennitatem XXI. ætatis anno absolvi constat.

Th. V.

Quamvis vero in Senili ætate potestas generandi *Conjugium* rursus deficere soleat, quia tamen natura hic, præsertim *senum non* in maribus, certis annorum cancellis inclusa non est, & *ita est ipso* non tantum Abraham circa centesimum & quadragesimum annum, cum Kethura ad secundas transferit nuptias, & cum illa adhuc plures procreaverit liberos, sed & hodie non rara adsint exempla illorum, qui post sexagesimum aut septuagesimum annum ad generandum adhuc habiles inveniunt; casus quoque quamvis rariores dentur, ubi, non quidem nonagenariæ ut Sara, quinquagenariæ tamen & ultra, liberos pepererint; & hætenus talium personarum consuetudo corporum, naturæ non repugnet; ac conjugium in virili aut juvenili ætate contractum senectute superveniente non dissolvatur, *jure nullum*  
sed

sed inter invicem Senes omnimodo validum maneat ;  
 de eo conjugium senum pro illicito & nullo, æq; accon-  
 jugium impuberum judicari non potest. Si vero in Mare  
 ob decrepitam ætatem omnis generandi facultas defici-  
 at, ita ut juvenulæ ductæ claustra virginittis ab eodem  
 effringi non possint, talis nupta, non obstante publice fa-  
 cta traditione, pro uxore habenda non est; unde si forte  
 cum alio confveverit, nec adulterii pœnæ subjiçienda,  
 nec ut suo imprægnatori nubat, prohibenda, dummodo  
 probetur, illam in otioso thoro cum senes suo fuisse; cum  
 indubitatum sit, sine corporum commixtione, ut despon-  
 sati in una carne cohæreant, conjugium non consumma-  
 ri; & ubi corporum communicatio plane fieri non pot-  
 est, vinculum matrimoniale non subesse. Nec obstat,  
 quod Davidi in decrepita ætate Abisag de Sunem fuerit  
 juncta, quam illum nunquam carnaliter cognovisse S.  
 Scriptura testatur, & quod sufficiat finem secundarium  
 conjugii, mutuum adjutorium, inter talis obtineri posse;  
 Nunquam enim Abisag de Sunem Uxor Davidis facta ;  
 Et si tantum propter mutuum adjutorium matrimoni-  
 um iniri posset, illud differentiam sexus non requireret;  
 per hanc autem naturam, corporum & animorum artifi-  
 cium vinculum, quod conjugale vocamus, introduce-  
 re voluit. Similiter si imprudens juvenis a lasciva Ve-  
 tula in conjugales amplexus seducatur, & huic sacerdotia-  
 li ritu jungatur, hic vero postea infrugiferum thorum  
 fastidire incipiat, & ab edentulæ suæ commixtione absti-  
 neat, ille sub specie prætensi debiti conjugalis ad pecca-  
 minosos coitus, salva conscientia cogi non poterit, quam-  
 vis huic in pœnam suæ levitatis, ante mortem sociatæ, ad  
 alia transire vota non sit permittendum. Et quia talia con-

*Enervati  
 Senis Con-  
 jugium, cum  
 puella est il-  
 licitum &  
 nullum.*

*Conjugium  
 vetule cum  
 juvene est  
 spurpe.*



alia transire vota non sit permittendum. Et quia talia  
 connubia honestum nunquam habent finem, potius  
 votum caprandæ mortis aliave gravissima mala produ-  
 cunt, ac quodammodo naturæ repugnare videatur, ut  
 illa, quæ per annorum numerum matris loco esse debe-  
 ret, juveni viro subjiciatur ad revelandam ejus nudita-  
 tem, ideo ne ineantur tam clerus quam magistratus  
 præcavere deberet, cum consueta illa formula quos  
 Deus conjunxit &c. inter tales sine mendacio vix inve-  
 niat locum. Ubi vero ætate pares, in consecutori æta-  
 te, ad liberorum prioris thori honestam educationem,  
 ac arduissimum mutuuum adjutorium, in pietate nu-  
 ptias contrahunt, mortem alterutrius non exoptantes,  
 & benedictionem thori illi committentes, qui Saram et-  
 iam, postquam muliebria in illa defecerant, fœcundam  
 fecit, licet talem partum mirabilem dixerit Imperator  
 in *l. 12. C. d. legit. her.* illorum conjugium, licet non sub  
 certa spe prolis initum, eo minus improbandum erit,  
 quo antiquitas probavit, ut, qui felici thoro se committe-  
 re velit, nubat pari; unde lex julia vel papia Senes ma-  
 ritos aliis, quam ultra quinquagenariis matronis Con-  
 jugio jungi, vetabat. *l. 27. C. d. nupt.* Et sicuti in aliis ju-  
 ris capitibus senioribus conceditur, seposita generatio-  
 nis cura, per adoptionem conservationi Familiæ stude-  
 re, quod juvenibus non conceditur; vid. *l. 15. §. 2. ff. d. ad-  
 opt. & Dd. ibid.* sic nec in hac materia, illa quæ de juve-  
 ne vetulam ducente, qui potius conjugium non aliter  
 quam ad sobolis procreationem appetere debebat, dicta  
 sunt, & evidentem turpitudinem involvunt, ad senes in-  
 vicem, ob morum similitudinem, educationem libero-  
 rum, aliamve piam causam, in mutuuum amicum adju-  
 torium

forium conjugium ineuntes, recte applicantur, potius horum pia consociatio corporum & animorum in forma conjugii, quo minus lascivæ libidinis aliorumve pravorum affectuum continet, Deo ac omnibus bonis probabitur. vid. elegantissime hoc thema prosequentem Brover, *d. jur. Connub. lib. 2. c. 3. n. 29. 30. 31. 32.*

Th. VI.

*Matrimonium inter parentes & liberos, naturaliter illicitum & nullum.*

Porro cum liberi genitoribus suis existentiam suam & per hanc quicquid felicitatis in hac & altera vita sperare possint, sub benignissima Divina gratia debeant, ac propterea ex ipso naturæ ordine, ad sanctissimum reverentiæ cultum illis obstricti sint; qui cum arctissima conjugii conjunctione & communicatione corporum, ac horum nuditatis revelatione, subsistere nequit, vid. Brover. *dict. tract. lib. 2. c. 10. n. 5.* non tantum inter ascendentes & descendentes conjugium ita est illicitum, ut, si inter tales commixtio corporum ex utriusque consensu contigerit, memoria ejus cum internectione transgressorum sit extinguenda. vid. *Lev. 18. v. 7. l. 38. ff. ad L. Jul. d. Adult. Carpz. Pr. Crim. p. 2. qu. 72. n. 21.* & quamvis ex errore talis consociatio sit facta, re comperta dissolvenda esset, nullumque effectum conjugii produceret; Sed etiam in illarum personis, quæ cum parentibus vel liberis in unam carnem coaluerunt, aut ad hoc per legitima sponsalia spem jure fundatam habuerunt, eadem prohibitio obtineat; vid. *Lev. 20. v. 14. & c. 18. v. 7.* nisi quod ratione pœnæ, propter commixtionem cum persona alicui parentum vel liberorum sine subsecuto matrimonio tantum desponsata, ne præcisè morte puniantur, mitigatio locum invenire possit, utrum vero qui cum

*Idem propter affinitatem obri-*

*net.*

*De sponsa*

cum conjugis ascendente vel descendente consuevit, et-  
 am innocentem in thoro retinere possit nec ne, vid. per  
 varios casus ex jure Can. demonstrantem Brover. *d. Ju-  
 re Connub. lib. 2. c. 13. n. 14.*

Th. VII.

Cum quoque reverentia parentibus debita exigat, <sup>Matrimoni-</sup>  
 ne quis sceminae, cum parentibus fraterno vinculo jun- <sup>um cum fe-</sup>  
 ctæ, & quæ ita matris loco est, nuditatem detegat, sibi <sup>mina, que</sup>  
 que talem in plenissimo corporis Dominio tanquam sibi <sup>matris loco</sup>  
 propriam subjiciat; ac simul subsistere nequeat, ut pro- <sup>est, illicitum</sup>  
 pter memoriam parentum, illorum forori, vel quæ lo- <sup>est.</sup>  
 co ejus est, fratris uxori, ab aliquo filialis reverentia ex-  
 hibebatur, qui eandem ut carnem propriam sibi subjicit,  
 vel illius nuditatem revelat; ideo Divino in natura fun-  
 dato ordini conveniens est, quod sceminae ascendenti-  
 bus proxime junctæ, & quæ Matris loco est, conjugium  
 appetere non liceat, sed talis conjunctio honorem pa-  
 rentibus debitum offendens, prorsus illicita sit. *vid. Lev.*  
*c. 18. v. 12, 13, 14. Et c. 20. v. 19, Et 20.* Quia vero conjunctio  
 cum fratris vel fororis filia, non æque honorem paren- <sup>Non æque</sup>  
 tum offendit, ac nullibi a Deo prohibita invenitur, & ve- <sup>cum scemina</sup>  
 risimile non est, summum Legislatorem, omnes casus <sup>que filia lo-</sup>  
 ubi scemina parentum locum obtinet, sollicitè enume- <sup>co est.</sup>  
 rantem ac conjugium in iis prohibentem, nullam vero  
 de illa, quæ in simili gradu filia loco est, mentionem fa-  
 cientem, in utrisque idem jus introducere voluisse, ma-  
 xime cum evidens ratio diversitatis ex ipso naturæ or-  
 dine adduci, solum vero sanguinis vinculum seu gra-  
 dus proximitas, essentiam conjugii eo minus impedire  
 possit, quo coram Deo omnes tanquam fratres & sorores

ex iisdem parentibus nati habeamur ; cui non obstat, quod *Levit. c. 18. v. 6.* expresse dicatur: *omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet rurpitudinem ejus &c.* hoc enim ad solos ascendentes & descendentes pertinere non tantum phrasis, *sanguinis sui*, ostendit, cum cæteri non tam sanguis proprius, quam sanguis parentum sint, sed etiam textus Ebræus clarius demonstrat, dum in eo tale vocabulum adhibetur, quod proprie significat reliquias proprii sanguinis. Neque porro obstat, quod dict. *c. 18. v. 12. 13. 14.* ratio prohibitionis cum matertera, Amita, Patruī Vidua, in sanguinis vinculo ponatur, & illud vinculum æque in fratris vel fororis filia inveniatur, uti prolixè defendit Brover d. l. Connubior. *c. 11.* & Carpz. *Jurispr. Confistor. lib. 2. tit. 5. def. 76.* Non enim in dictis locis scæminarum, quæ matris locum obtinent, conjugium prohibetur, propter proprium sanguinis vinculum, sed quia parentibus proximæ fuerint, & ita honor ipsis debitus hoc non permittat ; quod secus est in fratris vel fororis filia ducta, ubi nihil obstat, quin illa uxor possit maritum suum patris loco simul venerari : Et in hanc opinionem consentit B. Luther. *Tom.*

*Non tamen* 2. *Germ. Jenens. fol. 152.* Quia tamen communis opinio est in contrarium : Ideo ne fragiliores scandalum exinde sumant, ac si aliquid Juri Divino contrarium admitteretur, Majestas humana tutius facit, si re integra de tali conjugio ineundo non dispenset, aut si etiam contra Ecclesiasticam prohibitionem, sine impetrata dispensatione, ita conjuncti coierint, ut illos tanquam temeratores Regiminis Ecclesiastici ex provincia abire jubeat, quamvis ita conjuges facti a conjugii vinculo liberari non possint ; uti Inclutam hujus Academ. Fac. *Jurid.*  
Re-

*hoc casu dispensatio facile concedenda.*

Respondisse testatus est Dn. Præf. in Addit. ad ill. Dn. de  
Rehtz. Medit. ad inst. disp. 5. post. 10. 11.

Th. VIII.

Quod vero ad conjugium inter fratres & sorores at- *Fratrū*  
tinet, vulgaris quidem est opinio: illud per se turpe ac *& Sororū*  
Naturali honestati ob sanguinis propinquitatem contra- *conjugium*  
rium esse, Deum vero in liberis primorum parentum a- *cum natura-*  
liis sceminis non exstantibus, de ejus permissione dispen- *li justitia*  
sasse. Verum, cum dispensatio mutationem vo- *non pugnat.*  
luntatis includat, qua illi, qui æque ac alii sub generali le-  
gis dispositione continebantur, ex post facto ab ejus ob-  
sequio liberantur, qualis voluntatis mutatio in immu-  
tabilem ac sanctissimum Deum non cadit, nec ejus justitia  
patitur, ut illud, quod in se turpe est, ac ejus voluntati  
contrarium, tanquam bonum non tantum permittatur,  
sed etiam præcipiatur, cui æque facile fuisset, plures ho-  
mines creare, minus fundata quoque sit illa hypothesis,  
propinquitatem sanguinis per se, naturale impedimen-  
tum nuptiis afferre; Ideo verius est, essentia conjugii  
contrarium non esse, ut dummodo illud sine prava concu-  
piscencia in illa perfectione, ad quam homines creati e-  
rant, contraheretur, illud etiam inter fratres & sorores  
recte subsistere. Postquam vero prava carnalis libi- *post pravam*  
do ex peccato orta, & propagata, multiplicato genere *concupi-*  
humano, magis magisque in posteris aucta est, o *scientiam ve-*  
mnibus bonis ex justo ratiocinio turpe visum, ut illi *ro est turpe*  
qui simul in eadem domo educari debent, inter se car- *ac illicitum,*  
naliter commiserentur, ac sub ulla conjugii spe con- *propter fa-*  
suescerent, ex quo cujusque patris familias Domus *miliarem*  
continuum lupanar fieret, cum e contra unum *domesticam*  
quem- *educatio-*  
nem

quemque sibi seorsim in propria familia uxorem habere conveniat; unde & talis fratrum & fororum conjunctio tanquam Deo abominabilis, & in qua sese inquinaverant gentes, absolute prohibita est. *Levit. c. 18. v. 9. & c. 20. v. 17.* in tantum, ut ibidem voluptuosa aspectio nuditatum fratris & sororis invicem, pro capitali crimine condemnetur, sc. quo eo magis præcaveant & ipsi & parentes eorum, ne nuditatis detectione inter se, ansam dent abominabili carnis concupiscentiæ. Quod si ergo non in eadem familia educati, & antequam cognoverint se fratres & sorores esse, in conjugium coierint, & sic nuditates invicem detexerint, quas nesciebant fratris & sororis nuditatem esse, in illis prohibitionem juris divini cessare, ac talis personas, re comperta, propriæ conscientiæ committendas, non vero matrimonium inter illas dissolvendum esse existimamus, licet recte jubeantur in alium locum migrare, in quo de illorum tam arcta sanguinis conjunctione non constet; uti aliquando in casu, ubi alicujus centurionis uxor in America filium enixa & in puerperio mortua, marito ibidem paulo post moriente, dum filius ille post majorennitatis annos in Belgium reversus, Antwerpia uxorem duxerat, de qua post aliquot annos & procreatos cum illa quatuor liberos, emergebat, hanc ejusdem matris, cum alio viro enixam filiam fuisse, decisum esse, relatum nobis est; Nuper quoque casus in vicina Germaniæ provincia contigit, ubi aliquis cum imprægnata data pecunia transegit, ut illa partui suo alium patrem quæreret, quo facto filius ex illa natus, postea singulari fato veri sui patris, (quod ignorabat) filiam consentientem, clam abduxit, eamque sibi matrimonio junxit, cui pater, conscientia ductu rem

*citra illam  
involant a-  
rie contra-  
etiam non re-  
scindendum.*

rem manifestando, sese opponit; & jam causa vertitur, quid de harum personarum conjugio sit statuendum.

Th. IX

Quia ergo non propter sanguinis propinquitatem, *Uxoris patris, que patri peperit filiam, ducere non licet.* sed ad evitandam familiae turpitudinem, inter illos, qui teneris familiares sunt, matrimonium inter fratres & sorores prorsus est illicitum, idem vero etiam contingat inter juvenes comprivignos, quorum mater patri adhuc peperit, & qui ita communem habentes fratrem fororemve, inter se quasi fraterno vinculo junguntur, hinc & horum conjugium a Deo prohibitum, illicitum & detestabile est. *Levit. c. 18. v. 11.* Quamvis enim B. Lutherus dictum locum passive explicaverit, dicit deinde Vater gebohren ist, tamen cum in *vers. 9.* praecedenti, manifesto jam prohibitum fuerit, etiam illam uxorem ducere, quae tantum patris filia & sic consanguinea est, & admodum absurdum foret tam proliza descriptione, filiae uxoris patris sui eandem prohibitionem statim repetere, & tam textus Ebraeus hic sensum aetivum admittat, quam etiam aliae versiones eundem sensum confirmant, sc. die deinen Vater gebohren hat; Ideo comprivignorum una cum partu ex ultimo thoro progenito simul educatorum conjugium, illicitum & nullum judicamus, licet nulla inter tales personas vel cognatio vel affinitas subsit; Si vero Senex pater filium adultum habens cum Muliere non juvene ex priori thoro filiam puberem habenti conjugium ineat, nihil oberit, quin hi comprivignis conjugio jungi possint: ex simili ratione honestatis domesticae non esse admittendum censemus, si filius matrem, pater filiam uxorem ducere vellet, cum hoc omnem *Filius patri socii fieri non debet licet cognatio vel affinitas subsit.*

mnem respectum inter parentes & liberos naturaliter debitum confunderet, licet etiam hic nulla cognatio sub-  
sit. *vid. l. 144 ff. d. Reg. I.*

Th. X.

*Cum fratris  
vidua illicitum  
est con-  
jugium.*

*Explicatio  
precepti de  
facundanda  
fratris vi-  
duæ.*

Neque convenit Uxorem fratris sibi in uxorem  
subjicere, quia hæc fratris caro fuit, ut ejus pudenda  
pro fratris pudendis habenda sint. *vid. Levit. c. 18. v. 16.*  
unde *c. 20. v. 21. ibid.* factum tale abominandum, ac in  
se turpe & illicitum dicitur & quidem, cum mal-  
dictione singulari; & quamvis communiter existiment, hanc  
legem postea esse mutatam, dum *Deuter. c. 25. v. 5. 6. &*  
*seqq.* Deum expressè jussisse dicunt, ut superstes frater  
fratris defuncti Viduam in uxorem ducat; quam co-  
tradictionem Rabbini & alii varie conciliare conantur, de  
quo prolixius *vid. Brover. de jure Connub. l. 2. c. 15. num. 5.*  
Verius tamen videtur, nunquam Deum præcepisse, ut  
superstes frater defuncti fratris viduam in uxorem du-  
cat, licet & B. Lutherus & plerique alii interpretes, hunc  
locum ita reddiderint; sed sensus illius præcepti hic  
est, quod dum apud Ebræos potissimum primogeni-  
tus, nomen & possessiones patris retinebat, ut ita eo  
melius conservarentur non tantum Tribus, sed et-  
iam familiæ & stemmata, ad clariorem demon-  
strationem prophetiarum de venturo Messia vo-  
luisse sanctissimum legislatorem, ut si ille, cui posses-  
siones seu bona paterna assignata vel destinata e-  
rant, reliquis fratribus una cum illo adhuc in eadem  
domo seu familia viventibus, sine prole relicta mo-  
rereretur, tunc primum ex dictis fratribus mox fratre mor-  
tuo, sive ipse uxorem habuerit sive non, obligari cum  
illa



illa semel concumbere, an fratri suo fuscitare semen possit; quod non solum ipsa phrasis Ebræa in dicto textu adhibita ostendit, sed & ex eo patet, quod expressè in *vers. 6.* dicitur, quod partus ille non debeat haberi pro partu procreantis superstitis, sed pro partu defuncti fratris, quod alias esset contra essentiam matrimonii, utpote in quo vir ex carne sibi appropriata sibi procreat liberos: neque obstat, quod de primogenito ibidem tantum asseratur, quod ille defuncti fratris nomen retinere debeat, fuit enim hæc phrasis de muliere, quæ nondum pepererat, apud Ebræos usitata, nec magis exinde sequitur, quod illa mulier secundo fratri ad propriam hujus familiam alios adhuc produxerit liberos, & sic uxor ejus facta sit, ac non sequitur, quod B. Maria Josepho suo alios pepererit liberos, dum Salvator ejusdem primogenitus dicitur. *Evang. Matth. c. 1. v. 25.* cum ergo hæc præcepta conjunctio, sine propria carnis concupiscentia, in pio affectu erga fratrem defunctum, extra conjugii formam fieri debuerit, ab illa ad turpe illud conjugium, qua frater simul in eadem domo & familia ad fratris sui carnem adspirat, non recte concluditur; nec imitetur homo sine expressa Dei voluntate, quod extra illam omni mortali abominandum est, non quod natura foedum & inhonestum, aliquando ex Dei voluntate honestum factum sit, sed quod in aliquo casu probavit ejus consilium, contra generalem prohibitionem, in eo mirari potius debemus ejus præceptum, qui supra omnes leges est, quam ut contra nobis cognitam turpitudinem, factum singulare imitari aut examinare velimus, ad cujus intimas rationes curiositas nostra perfecte pervenire nequit.

C

Th.

Th. XI.

*Conjugium  
cum defun-  
ctæ uxoris  
Sorore non  
est illicitum.*

Quamvis vero eadem affinitatis conjunctio intercedat cum Sorore defunctæ uxoris, quæ subest cum fratris vidua, tamen, quia supra dictum, quod non cognatio aut affinitas, sed alii respectus efficiant, ut a quarundam nuptiis abstinendum sit, & certe non eadem turpi udo subit, si quis mortua uxore, quam ex parentum familia exeuntem, sibi in propriam carnem assumerat, ejus Sororem, iterum extra familiam suam in uxorem ducit, quæ subest in muliere, quæ ex duobus fratribus in eadem familia constitutis concipere deberet, neque de viro recte prædicetur, quod ille ita caro uxoris sit, ac uxor caro mariti est, cum ex natura conjugii & ejus primæva institutione, caro uxoris transeat in absolutam proprietatem & dominium mariti sui, ut, quicquid ex ejus visceribus nascitur, hujus sit, quod de carne mariti respectu uxoris, sine absurditate prædicari nequit; nullibi quoque matrimonium cum defunctæ uxoris Sorore a Deo prohibitum inveniatur, potius cum *Levit. c. 18. v. 18.* interdicitur, ne quis ad laceſſendam uxorem illa vivente Sororem ejus superinducat; confirmari videtur, uxore mortua nihil impedimento esse quo minus ejus Sororem ducere possit; Ideo talem conjunctionem per se turpem ac illicitam esse, non judicamus. Equidem non ignoramus, in versione Junii & Tremellii allegatum locum ita reddi, *mulierem unam ad alteram ne assumito angustia affecturus hanc &c.* & inde plerosque contendere, sub nomine Sororis hic qualemcunque

scæ

foeminam intelligi , & sic in hoc dicto polygamiam prohiberi; Quia tamen hæc explicatio nec textui nec historiae sacrae convenit, dum sanctissimi Patres Veteris testamenti in Polygamia benedictionem divinam obtinuerunt, quæ fratris Viduam ducenti expresse denegatur, *Levit. 20. v. 21.* ac ratio diversitatis inter turpe conjugium cum hac, quæ duos fratres in eandem carnem admittit, & inter illud, quod sine revelatione carnis fratris vel sororis, cum sorore uxoris non repugnante naturali pudore contrahitur, sat evidens est; non apparet, cur a genuina Vulgari interpretatione allegati loci recedendum sit. vid. prolixè hoc thema contra aliorum objectiones propugnatum in Bucholtzii *tractatu de Sorore Uxoris, contra Havemannum.* Dissent. Brouer. *d. Et. c. 15. n. 6. & Dd. Comm.* Interim pro-  
*recte tamen interdicitur*  
 pter communem contrariam opinionem, ne alii ex tali conjunctione scandalum sumant, laudanda est constitutio Potentiss. Borussiae Regis FRIDERICI, quam ad Consistorium Ducatus Magdeb. emisit, nemini super hoc casu spern faciendam impetrandæ dispensationis, ac licet talis impetrata dispensatio aliquando produceretur, illam pro obrepta habendam, & nunquam consummationem talis matrimonii admittendam esse: Qua tamen constitutione non obstante, nuper alicui, qui sub spe impetrandæ dispensationis, cum uxoris defunctæ sorore in alia provincia matrimonium contraxit, & cum illa in Ducatu Magd. commorari constituit, eatenus gratia facta, ne illam uxorem semel ductam dimittere, sed cum illa ex provincia migrare cogatur; Scilicet, quia ad minimum non liquido & clare constat, hoc conjugium a Deo im-

probari, ideo ejus semel contracti dissolutio in hominis potestate non est; legi tamen publicæ dolose contravenientes, merito gravioribus pœnis coërcentur.

Th. XII.

*De matrimonio insecundo genere affinitatis ob memoriam parentum non concedendo.*

Porro circa affinitatem admodum controversa est quæstio, an cum uxoris defunctæ privigna aut cum privigni vidua matrimonium concedendum sit, aut an conjugium quondam privignæ mariti cum noverca sit licitum; B. za, & qui illum sequuntur, defendunt talem jure Divino nullibi prohibitam conjunctionem illicitam non esse, cum inter illas personas nulla vera cognatio vel affinitas intercedat. Quia tamen Noverca in Patris uxoris privigni carnem coaluit, & sic carnis seu uxoris ipsius privigni patris caro & matris loco est, similiter uxor privigni, suæ carnis filii caro est, & indecens videatur, ut, qui conjugibus parentum vel liberorum loco fuerunt, postea superstiti conjugii matrimonio jungantur, in conjunctionibus autem, non solum quid in se licitum sit, considerandum, sed etiam quod honestati contrarium, per *l. 197. ff. d. Reg. I.* non sine fundamento judicavit Papinianus in *l. 15. d. Rit. Nupt.* quod uxorem quondam privigni, matrimonio Vitrici conjungi non oporteat, nec in matrimonium convenire debere Novercam ejus, qui privignæ maritus fuit, & secundum hanc juris Romani decisionem, tale conjugium re integrâ non concedendum, aut qui de facto illud propria autoritate contraxissent, ex illa provincia, in qua de illorum conjunctione constat, non immerito relegandi essent, dummodo justa ignorantia

tia vel defectu certæ legis prohibentis, non excusentur.  
 vid. Brover. d. l. c. 15. n. 4.

Th. XIII.

Cæteræ Juris Ecclesiastici prohibitiones, quem- *De impe-*  
 admodum Papali dominatui originem debent, & ex *tr. ande di-*  
 falsa vulgi persuasione, quod cognatio arctior causa *spensationis*  
 sit impediendarum nuptiarum, ab Evangelicis reten- *pro certa*  
 tæ sunt, maris ac sceminæ conjunctionem jure naturæ *pecunia*  
 ac Divino validam impedire non deberent; Et si tale *injustitia.*  
 quid inhonestum est, quare data prius pecunia conce-  
 ditur, aut si in negotio hoc naturali, conjunctio, in  
 gradibus jure tantum humano prohibitis, divinitus in-  
 troduceto ordini ac honestati non repugnat, quare il-  
 lorum amica desideria in divinum scædus conjugii impe-  
 diuntur, qui conjugem pretio emere nolunt; sed quia  
 dispensationum reditus vel a Clero sub piæ causæ præ-  
 textu, vel ab Aulicis impetrari solent, ideo manum  
 de tabula, & nemo audet huic papatus idolo constan-  
 ter contradicere, plerisque sufficere prætendentibus,  
 aliquos ultiores gradus pontificio jure prohibitos vin-  
 culis legum prohibitarum exemptos esse, quod si vero  
 legislationi humanæ contra vinculum naturali ac Divi-  
 no jure justum & validum, aliquis locus relinqui de-  
 beret, cur in terris protestantium, prohibitio conjugii  
 ob spirituaalem cognationem non attenditur, quam  
 Imperator Justinianus tantam esse judicavit, ut *in l. 26.*  
*c. d. Nup.* statuerit, nihil aliud sic inducere posse pater-  
 nam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem,  
 quam hujusmodi nexum, per quam Deo mediante, ani-

ma eorum copulatae sunt. Sed cum haec omnia ab hominibus introducta sint, ab illis, penes quos est summa potestas in Republ. recte iterum tolli, aut si prohibitiones quaedam, sub publicae honestatis praetextu retineantur, contra has ex gravioribus causis dispensatio concedi potest: in casibus vero jure Mosaiico prohibitis omnem dispensationem humanam cessare debere, abunde probat Brover. *disc. lib. 2. c. 16. n. 9.*

Th. XIV.

De caetero recte sub severissimis poenis prohibetur, ne conjugium cum infideli & fidem Christianam abneganti a Christiano ineatur; si tamen illud contractum sit, illud propter infidelitatem conjugis non est natura illicitum & nullum, nisi quatenus simul desertio malitiosa accesserit; ita ex Divino oraculo respondente Apostolo. Uxor vero infidelis si de fuga suspecta sit, arctius custodiri poterit, ne forte partum a Marito conceptum in periculum animae inducat, quamvis alias, ob religionis diversitatem, non conveniat aliquem invitum arresto constringere, & quasi carcere detinere.

Th. XV.

*Conjugium sine benedictione sacerdotali contractum, est nullum, quoad effectus civiles, non naturales.*

Quamvis vero conjugium essentiam suam ex jure Naturae & divino habeat, quae juxta retro tradita in eo consistit, ut foemina transeat in plenissimam proprietatem mariti, & hujus caro fiat, in communicationem corporum, ad procreationem sobolis, mutuumve solatium & uestionis remedium, tamen non negamus publi-

ca

cæ honestatis causa & ad evitanda varia mala etiam jure humano eidem certos ritus recte præscribi, quibus non observatis, effectus civiles tali conjugio denegentur; unde cum apud nos, ad introducendum conjugium, benedictio sacerdotalis, ex pontificia quidem sacramentali hypothese primum oria, adhuc requiratur, illa omiſſa non tantum contrahentes pœnam incurrunt, sed etiam tale conjugium, tanquam essentia civili destitutum, hætenus omni effectu & assistentia civili carebit; manente tamen inter illas personas naturali conjugii vinculo; sic si e. gr. de dote, vel de successione secundum statuta lucranda vel solvenda agatur, ubi benedictio illa non intervenit, actio non competet; si vero de partu ex tali conjunctione producto, aut de individuo illorum conjugum vinculo vel adulterio agatur, omiſſio illorum solennium civilium non consideranda erit, cum lex civilis, civilia tantum jura, non naturalia introducere vel mutare possit; §. *pen. I. D. I. N. G. & C.* vid. Selden. *Uxor. Ebr. Libr. 2. c. 28. 29.* Struv. *Synt. I. Civ. Exerc. 29. tb. 26. cum mult. ibid. alleg.*

Th. XVI.

Denique propter morbum fonticum & contagiosum, aut hereditarium unius partis, si altera pars vitium illud ignoravit, non saltim sponsalia, sed & matrimonium traditione tantum perfectum, non injuste resolvitur, aut potius nullum declaratur, cum verus consensus in talem personam hic deficiat; si vero pro consummatione ejus matrimonii concubitus accesserit, & ita restitutio in integrum fieri nequeat, innocens pars culpæ suæ adscribat, quod in conditionem futuri conjugis non melius inquisi-

ve-

verit ; & calamitatem infelicis conjugii æquo animo ferat, non tamen tenebitur cum proprio vel partus vitæ dispendio concubitus admittere, sed alter alterum retineat quasi pro fratre & sorore, quem quamve duxit in conjugem. vid. *c. 2. X. d. conjug. lepros. vid. Diss. Dn. Præs. d. Furibus Aegrotorum ib. pen. & ult.* Et omnes conjuges, circa sanctissimum conjugii fœdus, ipsam Dei cum hominibus unionem repræsensans, ita versentur, ut in eo semper maneat

SOLI DEO GLORIA.



ADDITAMENTA.

I.

**M**atrimonium Adulteri, cum ea quam polluit, in adulterio validum est.

II.


Sponsa de præsentī, antequam viro ad conjugalem usum est tradita, non est uxor.

III.

Conjugium cum imprægnata ab alio contractum, est per se illicitum & nullum, licet maritus hoc sciverit.

IV.

Bigamia magis Christianis moribus abrogata, quam ullo jure sub certa pœna prohibita est.





ULB Halle  
003 892 832


3



7  
5b.







E. 21 num. 2

1703 2

4

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
De  
**CONJUGIO  
ILLICITO,**

P. 393

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGICI HEREDE, &c. &c.

*In Regia hac Fridericiana,*  
PRÆSIDE

**DN. HENRICO BODINO,**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS.  
CONSIL. ECCLES. IN DUCAT. MAGDEB.  
ET PROF. JUR. ORDIN.

PATRONO AC PROMOTORE SUO ETATEM DEVENERANDO

**PRO LICENTIA**  
Summos in Utroque Jure Honores  
consequendi,

Ad D. Octob. MDCCIII.

Horis ante & Pomeridianis

placido Eruditorum examini exhibet

**JOSIAS MÖRDER,**  
Magdeburg.



RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Literis CHRIST, HEMCKELII Acad. Typogr. 1715.